



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Nicolai Lancicii E Societate Iesv Opvscvlorvm Spiritvalivm
Tomvs ...**

Łęczycki, Mikołaj

Antverpiae, 1650

De eximio fructu, quem quædam Monialis percepit in Octiduana
Recollectione. Cap. XXII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78809](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78809)

iudicio & tribunali Domini Dei tui.

III. *punctum.* Considera plus facere, & pati homines pro mundanis desideriis, caducis, transitoriis, valde noxiis, assequendis, quam tu pati possis pro exequendis his bonis propositis. Quid enim non faciunt, & patiuntur rustici in pagis, famuli aliorum, mercatores, rectores, nautæ, milites, & alij: & non erit æquè dignus Deus, tanta in te diligentia, quanta diabolus, quanta mundus. Agnosce aliquando cæcitate, & duritiem tuam, & trade te Domino tuo eo modo, quo ipse expetit, propter bonum tuum offer te, pete gratiam pro executione,

MEDITATIO

De Quatuor stultitiis hominum, seu de quatuor cæcitatibus.

Primo die post octiduanam collectionem consideranda.

Primò, Considera magnam esse stultitiam & cæcitate mentis, plus facere iacercatum ob crimen læsæ Maiestatis, quam Regem ab eo læsam, & eius iudicium futuram. Tales sunt qui, ne offendant, vel contristent hominè, offendunt Deum, respectu cuius homines omnes, etiam nunquam peccassent mortaliter, sunt rei læsæ Maiestatis, saltem ob peccatum originale, quod sibi esse dimissum certò & infallibiliter nemo scit, nisi ei Deus reuelet. Quocirca resolute te ad honorandam infinitam Dei Maiestatem in hoc, ne quicquam facias, vel omittas propter homines, seu humanos respectus, quo possis offendere Deum. Ut autem ad hoc te resoluas, inuestiga motiva illa, ob quæ propter homines Deum offendisti, ne homines offenderes. Inuenies enim eadem, & multò maiora esse ad habendam maiore rationem Dei, quam hominum, & offensarum eius, quam humanarum.

Secundò, Considera secundam stultitiam & cæcitate hominum eorum, qui plus faciunt lucra minora noxia, quam maiora & vtiliora, rebus omnibus & circumstantiis consideratis. His sunt similes ij serui Dei, qui, cum possint faciendo aliquid boni, vel patiendo aliquid mali, lucrari præmia æterna in cælo, non curant illa, sed malunt tunc percipere aliquam consolationem terrenam citò transiuram. Quod quam turpe & noxium sit, perpende, & sancta auaritia accensus, incipe congregare lucra æternitatis, & breui duratura contemne. Et in particulari annota, & Deo offer ea, in quibus te deinceps vis emendare.

Tertio Considera tertiam stultitiam, & cæcitate hominum, qui etiam bona non noxia, sed vtilia omnino, verum non diu duratura magis quærunt, quam alia vtiliora & duratura

longè diutius. Tales sunt, qui contenti mediocri bonitate, non conantur esse sancti & perfecti. Hoc quàm dedecet hominem ratione præditum, & qui pro corpore quærit semper meliores vestes, cibos, potum, habitationem, & alia omnia; pro anima tamen sua non æquè desiderat, & quærit ei magis profutura in æternum. Et hinc discet, inter duo bona spiritualia & honesta, semper eligere maius.

Quartò, Considera quartam stultitiam, & cæcitate hominum, qui plus faciunt voluntatem propriam, quam diuinam, ferentes, & speculatiuè, & experimentaliter, ac practice, multa mala, etiam in hac vita secuta, ex propria voluntatis executione, quæ non sunt secuta ex executione diuinæ voluntatis. Quod quàm fœdum sit, quàm etiam nostris propriis commodis noxium, perpende, & proficere stude.

In Colloquio, Primò, confundere coram oculatissimo Deo. Secundò, pete veniam, ne tibi noceant hæc stultitia. Tertio, promitte emendationem seriam. Quartò, pete auxilium à Deo, ut aperias oculos ad cognoscendas tuas stultitias, & eas corrigendas, & ad exequenda bona proposita facta in octiduanam Collectionem.

CAPVT VIGESIMVMSECVNDVM.

De insigni Conuersione cuiusdam Monialis Romane, primo die Exercitiorum facta, & magna viua sanctitate eiusdem statim acquisita per Exercitia S. Ignatii.

PROTESTATIO AVTHORIS.

Cum in vita Virginis Mariæ Bonauenturæ nonnulla attingantur, quæ videri possent extraordinaria & continentia futurorum præfagia, hæc omnia ita lectoribus proponuntur, ut non debeant ab iis accipi tanquam examinata & approbata ab Apostolica Sede, sed tanquam ea, quæ à sola suorum actorum fide pondus obtineant, atque adeò non aliter quam humanam narrationem simplicem & historiam. Proinde sanctæ Inquisitionis Decretum, Anno 1625, editum, & Ann. 1634, confirmatum, integrè atque inuolatè, iuxta Declarationem eiusdem Decreti à SS. D. N. Urbano Papa octauo factam Anno 1631, seruari à me omnes intelligant, & omnia in eo statuta à me relinqui, quem seclusa hæc lubricatione obtinerent.

VT agnoscat meliùs fructus Exercitiorum Spiritualium S. Ignatii, & qua præparatione animi aggredienda sint, & qua diligentia peragenda, & ad quos fines dirigenda, magnæ auctoritatis viris suadentibus, statim describere insignè cuiusdam sanctimonialis conuersionem ad vitam valde sanctam, horum Exercitiorum beneficio repente, per singularem Dei gratiam, subsecutam. Vnde quiuis intelligere poterit, quibus

viis & modis ipse quoque possit Dei ope ad altissimos perfectionis gradus ascendere ductu Exercitiorum, quando videbit vnam Virginem vix inchoatis Exercitiis primo eorum die admirabiliter esse mutatam in alteram, & vno penè momento tor assecutam esse virtutum heroicarum apices, quos multi multorum annorum spatio non attingunt. Extat Romæ monasterium Turris speculorum appellatum, pluribus quàm centum è prima Romana nobilitate Virginibus refertum, & magnæ probitatis fama, eaque non hanc celeberrimum, à S. Francisca Romana fundatum, Ordinis S. Benedicti. In hoc monasterio anno 1626. vixit ex nobilibus orta parentibus Romanis Virgo, Maria Bonaventura, insigni specie corporis & raro ingenij acumine ac iudicio prædita, auctorum cognitione, & scribendorum Italicè versuum peritia ornata, & ob generositatem animi ac morum suavitatem cum eximia prudentia coniunctam, omnibus valdè chara, sed spiritualibus rebus ac personis parùm addicta, ne dicam ab iis abhorrens, & lætis conuersationibus cum domesticis & secularibus plus æquo dedita. Hæc, cum casu quodam mihi (quem aliàs fugiebat) confiteri cœpisset, videremque in ea indolem naturæ ad præclara queque aptissimam, traditurus Superiorum iussu multis in eo monasterio Monialibus spiritualia Exercitia, suasi Mariæ Bonaventuræ, vt iis ipsa quoque se sineret excoli. Restitit initio, & cum cachinno quodam consiliū meū reiecit. Tandem aliis quoque Monialibus suadentibus manus dedit, valdè tamen repugnante natura, quam vt vinceret (quemadmodum ipsa mihi postea dixit) pro Dei amore, ea vt ipsi quoque traderem, me rogauit, atque hac ratione se præparauit ad illa.

Primo. Cum præteritæ vitæ rationē sensisset in se à rebus Diuinis abhorrentem, diffidens penitus viribus propriis, se totam Diuino magisterio & directioni subiecit, sperans se non derelinquendam à Deo, ob cuius purum amorem, & conscientiæ suæ quietem, ac Religiosæ vitæ progressum, sibi insolitum antea eligebat cesessum, & tam diuturnum meditandi laborem, ac arcti silentij rigorem, & exactam temporis bene collocandi custodiam.

Secundo. Excitauit in se magnum lætitiæ affectum tres ob causas. Primo, quod amplam sibi videret à Deo fieri potestatem tractandi libetè cum eo de maioris momenti negotiis quàm soleant subditi ad conspectum Regum admissi. Præterea gaudebat se toto Exercitiorum tempore nil tractaturam aliud quàm suæ salutis & perfectionis negotium, à quo videbat beatam pendere æternitatem. Hanc quoque letabatur ob causam, quod copia sibi fieret diutiùs agendi cum Deo, omnium amicorum & benefactorum maximo, cuius sciebat esse delicias, cum hominibus versari.

Tertio, quam adhibuit, dispositio ad peragendam Exercitia, fuit firmissimum animi propositum vincendi naturæ repugnantiam à solitudine & silentio abhorrentis, & omnia ad Exercitiorum culturam spectantia quàm diligentissimè exequendi, & directoris consilia sequendi in omnibus.

Quarto denique liberalissimè se totam obtulit Deo, vt in ea tanquam in candido folio scribere dignaretur, quæcunque deinceps vellet ab ea sine deleri, siue vitari, siue emendari ac perfici, siue inchoari & fieri. Quam liberalem sui oblationem, nulla exceptione, nullis limitibus voluit circumscribi, sed plenè in omnibus totam libertatem suam Diuinæ voluntari conformari, & quantum sibi liceret, eius beneficio gratiæ quodammodo adaquari.

His quatuor affectibus armata in apertum cum natura ac dæmone certamen descendit, & ipso Mensis Martij initio Anno 1626. Exercitia inchoauit, quorum primo die cum per horas aliquot summa mentis attentione ponderasset Exercitiorum principium ac fundamentum, in eoque penetrasset finis, ad quem creata erat, excellentiam, & mediocritatem sibi diuinitus concessorum & à se neglectorum, multitudinem & efficaciam ad consecutionem huius finis, deplorato imprimis tam insigni beneficiorum abusu & neglectu, gratiisque Deo actis pro tam nobili suæ creationis fine, ac præstantia mediocritatis, imploratiisque diuinis auxiliis, sibi ad quærendum hunc per media, finem, necessariis, tanto repente lumine & feruore diuinitus se repletam sensit, vt se generosissimè resoluere ad incundam deinceps perfectissimam viuendi rationem, à vita antea cæta protus diuersam. Stabilità coram Deo hac resolutione, illo ipso die me adit, & successum Meditationum narratura, sic exorta est: *Pater, non oportet amplius iocari cum Deo, agnosce quid à me velit Deus, quid nolit: volo tota esse Dei, & totis viribus conari, vt ob maiorem Dei gloriam, sine vlla mora, sancta euadam, non qualiscunque, sed magna, & cûd.* Cum autem ei dixissem quæ tunc occurrebant, & dicenda videbantur, læta abiit, & re cum nullo communicata, pulcherrimo quo solebat (non femineam sed virilem elegantissimè scriptoris manum referente) caractere, talem sui oblationem scripsit Italicè, post mortem eius primùm inter eius scripta à domesticis inuentam.

Ego Maria Bonaventura

Serua indignissima Crucifixi, qui motus infinita sua Spierate dignatus est hoc die veneris, quarto Martij 1626, dum Exercitia facio, dare mihi tantum robur, post multas, & infinitas inspirationes, quibus ingrata semper restui, conuicta tandem à Diuina gratia, in conspectu Sanctissime Trinitatis, Beata Virginis meæ Mariæ, Sanctæ Francisæ, & Sanctæ Mariæ Magdalæ-

na, mea peculiari aduocate, & totius curia celestis, propono tibi & offero. Iesu Sponse anima mea, à me infinites offensa, nunquam amplius tradendi affectum meum vlli creaturae extra Deum, vbi agnouero intercedere offensam, & tui seruij remoram: quod desidero & propono obire, cum maximo quo potero seruiorè aditura Diuina gratia tua, sine qua cognosco me ne quidē vnā cognitionem posse dirigere ad calum. Et hanc oblationem Deus meus, & propositum quod facio auellendi me à rebus omnibus, quae me possunt à tuo sancto elongare, seruij tam libenter facio, vt si post mea obsequia tota vita mea impensa tibi, volueris me detruere ad infernum, ero contentissima, dummodò in me tua sanctissima voluntas adimpleatur. Quocirca scripturam hanc meam, meae propriae manus, tibi dono & consignolei Creator, & anima mea Redemptor, eamq. in tuo sanctissimo latere depono rogans per pretiosissima merita sanguinis tui, vt mihi condones omnia peccata mea; nec permittas dilecte Deus meus, te vnquam à me amplius offendi, cum amplius non sim mea, sed tota tua. Amen.

Facta hac sui obligatione perrexit in Exercitijs faciendis per 10. dies, quae quo fructu absouerit, paulò post apparet. Interim hoc de ea sanctè affirmare possum, me nec in Confessione Sacramentali illius, (quam coram me solo faciebat) nec dum redderet rationem Meditationum, & omnium aliarum occupationum, vllum prorsus deprehendisse in ea ne minimum quidem veniale peccatum, toto illo 10. dierum spatio, ab ea in Exercitijs commissum.

Porrò praeter particularia proposita quae tunc fecit haec quoque fecit generalia.

Primum fuit, Conservandi animam in summa, quae possit reperiri in hac vita, puritate, cuius hos veluti quinque gradus sibi praefixit:

Primò, Purgandi animam à praeteritis peccatis bona Confessione, & vitandi quoduis peccatum veniale, praesertim deliberatum.

Secundò, Abstinendi etiam à peccatis materialibus, hoc est, à rebus talibus, quae in se malae videntur, sed culpam & Dei offensam coniunctam non habent, dum sunt ex primi motus impulsu, sine aduertentia rationis, & vsu liberi arbitrij.

Tertiò, Attendendi passionibus naturalibus, vt non tantum ad culpam non pertraherent, sed neque quietem animae perturbarent.

Quartò, Abolendi obligationem poenarum temporalium per media in Sancta Ecclesia vsitata, quò ita puram conseruaret animam, non tantum à macula culpae, sed etiam à ruga poenae.

Quintò, Vitandi etiam res in se non malas, tales tamen, quae à prudentibus & sanctis improbantur vti est, manuum non necessaria agitatio, in incedendo vel loquendo, pedum decussatio, aut nimia in sessione protensio, & his similia, ad motum vrbanam honestatem ac decorem spectantia.

Secundum generale propositum ab ea in Exercitijs factum fuit, omnes internas & externas actiones suas faciendi planè & adaequatè iuxta lumen sibi diuinitus concessum & concedendum, quoad finem, modum & circumstantias eorum, ac omnem possibilem perfectionem à se cognitam, habendo pro idea operandi non tantum Sanctos eximios, sed ipsum Christum incarnatum.

Tertium propositum vniuersale fuit, amandi crucem in omnibus ac per omnia, cum desiderio patendi quamplurima pro Deo, & in occasionibus patientiae, tolerandi omnia sine excusatione & defensione, & nulla re leniorem reddendi crucem, quin potius omnem possibilem amaritudinem & afflictionem, quantum licet & decet, æquo, patienti, & libenti animo ferendi.

Quartum generale propositum fuit, procurandi citò magnam sanctitatem, idque non alium ob finem, quam vt ea cederet inquam maximam gloriam, consolationem & gustum Dei, & commendationem ac fructum meritorum Christi, ac nostrae Redemptionis dilatationem. Quae omnia, illa desiderabat tam puro & defacato affectu, quamuis postea nullo hanc ob rem praemio afficeretur diuino.

Ad haec proposita exequenda, tanto affectu ferebatur, vt ardere videretur feruentissimo desiderio illa quam perfectissime exequèdi. Hinc ortum est, vt ab eo tempore, non solum exactè obediuerit Confessarijs suis perfectiora suadetibus, sed etiam omnibus inspirationibus diuinis, quatum nullam prorsus per reliquum vitae tempus, respuit, nullam distulit, sed omnes omnino, nulla excepta, etiam in difficillimis rebus perfectè executioni mandauit.

Hoc ipso tempore beneficio Exercitiorum, adeò se immutatam pensit, vt prorsus omnes inordinatae affectiones (multorum licet annorum consuetudine in ea roboratae) ex eius animo excellerint, idque tam perfectè, vt non tantum non placèrent ea, quae ei antea erant in amoribus, sed vehementissime displicerent, & tanquam res foedissimae & amarissimae, sensibilem quandam nauseam illi mouerent.

Præcipuum eius post absoluta Exercitia studium fuit, quinque supra dictos puritatis gradus attingendi, idè per quotidianas vitæ Christi meditationes, per fugam occasionum peccandi & otij, per spiritualium librorum lectionem, per obseruantiam exactam silij, & mortificationem quarundam repugnantiarum, per accuratam sensuum custodiam, (praesertim oculorum) per ternam vel quaternam in quauis hebdomada Sanctissimae Eucharistiae sumptionem, per assiduam implorationem diuini auxiliij, maximè verò per considerationem prauiam eorum quae faciebat & dicebat, cum quadam reflexione, ad modum operandi & loquendi

coniunctam, eò, Deo adiuuante peruenit, vt à deliberatis venialibus peccatis esset libera, saepe verò nullam ad Confessiones adferret absolutionis materiam, sed aliquid ex vita antea facta confiteri cogeretur, nec in plures quàm in duos aut tres ad summum laberetur indeliberatos defectus per totam hebdomadam, eosque leuissimos, dum interdum (quod rarò accidebat) ob humanæ fragilitatem naturæ, à perfectissimo operandi modo recederet. Nunquam postea de vlla re quæstia est, nunquam ab vllò casu perturbata; (quamuis multas haberet & iustarum querelarum & perturbationum causas) nunquam deinceps etiam minimam temporis partem otiosè traduxit: nunquam vllius dicta vel facta verbo vel sola mente perstrinxit: nil vnquam in vllò etiam specie zeli improbauit; nunquam vllam personam accusauit: nunquam vllum vllius defectum alteri narrauit: sed excusabat & commendabat omnia, quæ morum alienorum non æqui censores vel mente vel lingua improbare solent. Porro tantus in eà Castitatis perfectissimæ amor deinceps enituit, vt à primo die Exercitiorum, vsque ad vitæ suæ vltimum, nullum prorsus veniale peccatum, aut sine peccato defectum in materiâ Castitatis & honestatis admiserit. Et quò magis puram conseruaret animam, ab omni etiam inuoluntaria impuritatè imaginatione, rerum etiam non malarum sed naturalium; statim qualdam pias imagines valdè pretiosas à magni nominis antiquis pictoribus miro artificio pictas, sibi antea valdè charas, è sua cella eliminauit, eam tantùm ob causam, quod paruula sanctorum personarum corpuscula, aut nuda, aut non plenè tecta representarent. Nunquam postea (vt antea solebat) vlla est rebus odoriferis vel pretiosis, solo tantùm argenteo cochleari & fuscinnula retenta. Omnes libros spiritualia non tractantes, sed profanas Historias, abiecit. Ab omni etiam honestissimo tactu aliarum Monialium & vestium illarum abstinuit. Cùm autem antea experta esset, colloquia cum secularibus mundano pulnere corda Religiosa respergere, ab illis sese penitus abstraxit, nolens etiam cum sanguine iunctis (nisi valdè rarò & breuissimè, ac tantùm de necessariis rebus) colloqui; quâ in re magni quidam humani respectus generosè ab ea conculcati sunt, dum ne semel quidem ad suum colloquium admittere voluit quosdam seculares illustres, quorum præsentia olim magnoperè delectabatur.

Eandem ob causam, contra pristinum suum morem, nulla vlli missæ munuscula, nec ab alijs sibi missa admisit, & in ipso Monasterio omnia prorsus colloquia de rebus indifferentibus, & extra necessitatis (dum aliquam visitaret infirmam) officium, repudiavit tam constanti proposito, vt ne quidem Confessarios alloqueretur alias ob causas, quàm petendi consilij, aut ab-

solutionis sacramentalis impetrandæ. Quo verò plenius se diuinæ Maiestati dicaret, capillos quibus antea prolixioribus delectabatur, penitus ad ipsam capitis cutim abscidit, omnemque suppellectilem curiosam & pretiosam, ac superfluam abiecit, exiguo lanæo vel lineo vestitu contentor: omnes quoque flores, etiam artificio humano (in quo ipsa mirificè excellerebat) efformatos, extulit è cella, etiam reliquiarium & crucem argenteam, contenta solo è vilissima materia sacculo, in quo inclusas pauculas Sanctorum reliquias, & sanctæ Eulaliæ iconculam, ac duo sancti Caroli, & sanctæ Franciscæ numismata, ac vota sua scripta, & quandam sui oblationem Deiparæ Virgini factam è collo gestabat.

Peculiari conatu dabat operam, vt omnes temporis partes in meritorijs operibus transigeret, ideoque singulas actiones Deo offerebat ob perfectissimum charitatis motuum; ipsum nimirum Deum purè propter se amatum, sine vllò respectu præmij etiam celestis. Conabatur omnia facere plenè iuxta lumina diuinitis sibi indita de modo operandi. Omnia quæ faciebat, cum extimo feruore facere conabatur, & cum internis actibus valdè intentis & ardentibus, vt eò maiorem Deo gloriam gustumque præberet.

In actionum delectu eàs peculiari studio seligebat, quæ viderentur perfectæ magis, magisque necessariæ ac meritoriz.

Totum tempus quod ei supererat ab officijs manualibus Monasterij sibi iniunctis, in oratione expendebat, cui quidem in loco Sanctissimæ Eucharistiæ quàm propinquissimo vacabat, tanto affectu, vt nulla alia occupatio non superiori parti animi tantùm, sed inferiori quoque æquè placeret; ita sibi eius animam & corpus diuinæ Maiestatis adstrinxerat statim in Exercitijs spiritualibus & deinceps.

In officijs quoque manualibus perpetuò precati videbatur. Nam præter frequenter iteratam eorum oblationem, non tantùm vnitam Deo mentem in iis habebat, sed plenam intentis erga Deum affectibus cum certo quodam ardore bullentis cordis & diuinæ charitate æstuantis. Quâ in re Angelicos imitabatur Spiritus, qui ita rerum creaturarum attendunt custodiæ, vt à diuini vultus intuitu ac fecundione non recedant. Cùm autem sciret verissimam esse illam Sancti Ignatii sententiam; eos qui se liberales exhibent Deo, Deum quoque erga se liberalem experiri; & fama esset, in opinione Nauarti fundata, Monasterij illius Virgines nullis Religiosis votis obstringi, concepit Maria Bonauentura certam verborum formulam, & tribus Pauperatis, Castitatis & Obedientiæ, votis sese in perpetuum obstrinxit, ac illa descripta in chartula ac in reliquario suo inclusa gestauit in pectore, cum alia quadam Epistola piâ sinceritate scripta ad Beatissimam Virginem

In celo existentem, his ipsis Italicis verbis:

In sanctissima Trinitatis conspectu. Ego Maria Bonaventura consilio Heredem meam Beatissimam Virginem Mariam cui facio perpetuam & irrevocabilem glorificationem, animae, cordis & corporis, omnium potentiarum mearum & sensuum, & propono demps me nolle us vi, nisi iuxta beneplacitum eius. & in huius rei testimonium, voco meum Angelum Custodem, Matrem meam Sanctam Franciscam, & Sanctam Mariam Magdalenam & omnes Sanctos advocatos meos, ac totam curiam caelestem. Mea propria manu 5. Augusti 1626.

His votis ac sui rerumque suarum donatione Deo ac ceteris adstricta, cepit liberaliore quam antea Dei experiri manum, tum in aliis rebus, tum in triplici gustu, ad quem in gradu valde alto repetere petuinit.

Primum erat perpetuus gustus Dei & rerum diuinarum: cuius beneficio, nullum profus, etiam involuntarium, ædium in oratione, lectione spirituali, longis concionibus, in omni denique alia occupatione spirituali sensit: quibus rebus totam sese impendebat, quantum per Monasterij officia licuit, præsertim quotidianæ multas horas continuas Meditationi dabat, in qua corpus ipsum quoque ad eum morem gerebat animæ, diuinis amoribus immerse, ut ipsum quoque sensibilibiter exultaret, dum rebus diuinis vacare permitteretur. Quod in Maria Bonaventura est mirabilis, quia antea hec Sacro ad horæ dimidium pertingenti assistere volebat, ideoque Sacerdotes semihoram in Sacro faciendo attingentes olim fugiebat.

Secundus gustus ei diuinitus inditus erat erga virtutes & sanctitatem: cuius tanto desiderio æstuebat, ut sine vlla alia præuia consideratione & ponderatione causarum ad studium virtutis impellentium, sola simplici & instantanea apprehensione alicuius virtutis, statim sine vlla mora, eius amore & efficaci voluntate eam exequendi taperetur, eo ipso modo, quo sanctus Bernardus viros perfectos describens ait Sermonem 20. in Cantica: *Omne tanquam naturaliter, & malum respuunt, & quod bonum est amplectuntur.* Quemadmodum & de Nostro S. Patre Ignatio apud Orlandinum Andreas Frusius dicere solebat: *caelestem Christi gratiam in Ignatio quasi ingentiam ac naturalem videri adeo constanter, ubique ac semper, adeoque facile modum virtutemque, seruabat: iuxta præclaram illam sancti Ambrosij sententiam; qui perfectæ virtutis ait esse proprium; ita tenere perseverantiam voluntatis, ut voluntas insaniam, vsus imitetur naturam.* Quem virtutum omnium gustum non inane fuisse, in heroicorum actuum, præsertim humilitatis & patientiæ, apparuit occasioibus, quas summa auiditate Maria Bonaventura arripiebat, & ne in eis impediretur, obstitabat: ferens æquo & gaudenti animo graues ab æqualibus iniurias sibi illatas, sui que contemptum, quam maxime in

votis habebat, & tunc iucundius triumphabat, cum ab aliis vehementius despiceretur & nihili feret, ab iis præsertim, quibus antea ob mortuum non spirituum sed politicorum similitudinem strictiore necessitudinis vinculo erat coniuncta, & a quarum consortio; mutata iam à Deo in alteram, sese subdlexerat.

Tertius gustus quem in hac morum mutatione à Deo hauserat, fuit insatiabilis fames & sitis omnium aduersitatum & afflictionum, præsertim bonam opinionem & famam & proprium honorem impetentium. Ideo frequentissime me urgebat, ei ut impetrarem à Deo perpetuas & nunquam cessantes semperque novas ac novas occasiones quam difficillima quæque pro Christo patiendi. Quæ quamuis ei minime deessent (præsertim quibusdam in rebus calumniæ, & varij modi contemptuum & conuictorum, quibus permittente Deo exagitabatur) illa tamen ac si nihil pateretur, plura ac maiora expebat: ea verò quæ patiebatur, non tantum æquo animo, sed etiam libenti & cum exultatione & gaudio, & adhuc grauius magis desiderio tolerabat, non sentiens in se in his crucibus vllam inquietudinem ac perturbationem animi, sed summam cum mentis iucunditate quietem.

Præter desiderium insatiabile & amorem spiritualium crucium, urgebat quoque in ea affectus ad corporeas. Quotidie bis & per longum temporis spatium se acriter flagris ædebat: quavis hebdomada aliquoties in culma lanabat lances & ollas, idque per plures horas: præterea quantum poterat ingerebat se in Monialium ad officia seruilia receptarum labores, eos cum illis, vel cum ea non possent, pro illis subeundo. Quod ne aliquam apud alias laudis materiam pareret, clanculum, ne ab aliis videretur, id faciebat: eum verò speraret se ob talia ab aliquibus politiculis, & sub Religiosa veste factum sæcularem alentibus, minime laudandam, sed potius irridendam, data opera illis spectantibus, aut ligna pro vsu Monasterij portabat cum aliqua domestica famula, aut aliquid aliud simile faciebat. Vnde sperabat ab contemptus, aut confisionis & sancti pudoris materiam. Cum quadam vice infimæ Monasterij famulæ habenti manus horrendas & fetida scabie infectas, inseruieret, petiit à me, sibi ut liceret sanctæ Catharinæ Senensis & sancti Francisci Xaverij exemplo, fetidam saniem & horridam aspectu ex vlcetosis manibus manantem sugere: quod, accepta à me facultate, ita ingeniosè præstitit, ne etiam testem suæ virtutis infimam haberet: eum enim ab infimæ manibus (vbi quotidie solebat) medica quædam herbarum folia, pituolentò sanguine & sanie factente imbuta attulisset, ut apponeret recentia, illa extra valetudinarium, nullo nisi Deo spectante, magna animi voluptate tanquam dul-

ciora

lib. 16. n. 121.

lib. 8. in Luc. c. 18.

ciora super mel & fauam, auidissimè exsuxit.

Quamuis si potuisset omnes diei noctisque horas impendisset orationi, cum tamen videret aliquam è domesticis infirmam non visitari ab aliis, & hisce piis carere solatiis, ad leuament morborum, ipsa Christum in sorore honorans, aliquam Orationi spontaneæ horulam demebat, vt alteram iucunda visitatione ac piis colloquijs solaretur. Minimè erat in conuersatione morosa vel tetra, sed grauitè læta & piè hilaris.

Vehementer optabat, vt omnes Monasterij Virgines præsertim iuniores, totæ sese diuinis ac spiritualibus rebus impenderent. Ideò præter Religiosæ vitæ suæ exempla, & ardentè pro hac re obtinenda ad Deum preces fusas, pijs de rebus sacris sermones cum his instituebat, vt hæc ratione omnes ad rerum cælestium amorem & mundanarum contemptum inflammaret.

Quamuis antea nimio prosequeretur amore sibi iunctos sanguine, & minima eorum infelicitate perturbaretur, postquam tamen se totam, vt dictum est, Christo dicauit, ita hunc erga suos affectum, repente perdomuit, vt quamuis illi grauissimis morbis vel periculosis litibus multorum millium iacturam minantibus affligerentur, illa tamen ac si nulla eis communione sanguinis adhæresceret, sine vlla perturbatione animi ac tristitia, sed cum magna tranquillitate & iucunditate animi ac vultus, excipiebat. Cum contigisset, vt vno eodemque tempore quinque proximi consanguinei in morbum incidissent, ei verò negata fuisset potestas à Monasterij præside infirmos illos visitandi (quam tamen alijs Monialibus similem ob causam concedi cernebat) id illa & æquo & hilari animo tulit, & tanquam Diuinum oraculum accepit: & cum alia Monialis & ætate & autoritate grauis, se id impetraturam promississet, obstitit omni conatu ne id peteret, quod si impetrasset, negauit illa se licentia vsuram, iudicans non decere in Christi famulatu, extorta per preces importunas vnquam vti licentia.

Hoc quoque in ea post absoluta Exercitia enituit, vt nullam prorsus rem etiam bonam anxie desideraret, & cum quadam animi, distantis ab æquilibrio, perturbatione, sed tanquam imperatrix quædam & domina suorum affectuum, non sequebatur illos, sed eos illuc quò Deus & recta ratio vocaret, dirigebat, & nullo prorsus casu siue proprio siue alieno perturbabatur. Hoc enim ei erat maximè in votis, ex peculiari quodam atque reflexo studio ei radicatus in Exercitijs infillato, vt daret operam, præter imitationem Sanctorum & Verbi Incarnati, ad similitudinem cælestium Spirituum, mentis & corporis sui statum componeret, & purissima beatitatis tranquillitate, feruentem in

rerum diuinarum amore animum & corpus seruaret tranquillum. His passibus currente in stadio virtutum, seu potius volentem, cum iam cælo maturam videret Deus, acutissima pleuritide & febris maximis doloribus, quibus per spatium quatuordecim dierum cruciata est, plenè purgatam ad se euocauit. Cum autem incidisset in morbum, nec morbi initium graue aliquod malum portenderet, à quodam Dei seruo magnopere petiit, sibi vt impetraret à Deo grauissimos in infirmitate dolores, & votis posita est. Nam tam acerbos & acres tum à pleuritide tum à febris perpassa est cruciatus, vt paucis ante mortem horis mihi dixerit se nunquam sperasse tam vehementes & tam acutos dolores, præsertim multis vltimis horis vitæ suæ, quos tamen illa adeò generoso animo tulit, præsertim in acerbissima multarum horarum agonia & difficilissima, vt cum metuerem ei morienti assidens, ne quid humanum ob vehementem dolorum acrimoniam passa esset, ideoque suaderem, vt si quid occurrisset, Confessione expiaret, illa sincerè mihi respondit, se illas omnes morborum & agoniarum acerbitates, sine villo impatientiæ rauo, & sine vlla perturbatione animi, imò cum magna lætitia interna, & cum desiderio maiorum tormentorum ac cruciatuum tolerasse, ideoque cum iussa fuisset laxare habenas gemitibus & stridoribus, vt ad leuament naturæ necessarium videbatur illa ex necessitate faciens virtutem, hos ipsos stridores ac gemitus obediendi animo permisos contingens cum Christi patientis doloribus, summo cum affectu & spiritus ardore Deo offerebat, hæc sæpe verba ingeminans seraphico quodam ardore prolata: *Propter te Domine & tibi*: significans se illos dolores acutissimos propter Deum pati, & animam suam illi offerre. Et quamvis etiam in corpore sano ac viuido, non omnes etiam perfecti experiantur diuturnum in Oratione feruorem, illa tamen fere per 18. horas continuas vltimas agoniarum & vitæ suæ, perpetuò in mente coniuncta cum Deo, ardentissimis diuini amoris affectibus aestuabat, acrimoniam non cessantium dolorum vincentibus: quos intus ardentè affectus cum reprimere non posset, in hæc & his similia verba prorumpebat sapissimè: *Cupio dissolui & esse cum Christo, non plus Domine, non plus. O dilecte Deus quando te videbo: accipe me Domine, verum tamen non mea voluntas fiat, sed tua.* Quæ verba sæpe admirando spiritu ierabatur, extendens brachia ad cælum, & cum tanta contentione vocis ac clamoribus, vt cor ex eius pectore exilire videretur. Sed cum quidam sacerdos sæcularis, cui Bonauenturæ virtus perspecta non erat, metueret, ne illa ab ea dicerentur, ex desiderio potius abbreviandorum dolorum & fuga crucis, à me hac ipsa de re interrogata, rem se aliter habere respondit, & quantum ad se attineret, se esse paratam ad tolerandas

das inferni pœnas æternas, si id Deo placeret. Sed cùm agnosceret se perfectiùs in celo glorificaturam Deum, hanc solam ob causam se ad cœli domicilium anhelare.

Cùm ergo vltimis Sacramentis esset muniēda, ante sacrum viaticum acceptum, à me petiit, suo vt nomine (quod eam vehementia morbi facere non permittebat) legerem scriptū quoddam secretum, certa verborum formula initio morbi conceptum. Allata ergo sanctissima Eucharistia pixide, in altari extemporaneo intra cellulam eius coram ipsa erecto, hæc eius nomine legi.

Domine Iesu Christe, qui verus es Deus, Creator, Redemptor & Dominus meus, cernens me in hoc vltimo passu vita mea breui compari uram, ante tuum Diuinum conspectum & tribunal, desiderans transire ex hac vita sicut decet seruam & Ancillam tuam, in presentia Diuina Maiestatis tue hæc protestor: Credo omnia illa que credit & docet sancta Romana Ecclesia, & sum parata ad dandum totum sanguinem & vitam meam pro quolibet articulo fidei sacrosanctæ, non tantum iam declarato, sed si post obitum meum declarabitur, quem iam virtualiter credo & confiteor, & volo, vt ipse transitus meus ex hac vita sit quadam protestatio & confessio sanctæ fidei tue.

Ego quamuis indignissima omni bono, & onerata multis malis, & que ex me nihil boni possim habere, verum tamen immixta infinitæ charitati & misericordie tue diuine, & infinitis meritis vite, Passionis & mortis Iesu Christi Redemptoris mei, firmissimè spero vitam æternam, & omnia auxilia ac necessaria media pro illa obtinenda, confirmans me in hac spe mea, intercessione Sanctorum, quorum auxilium imploro, maxime immaculata Virginis Mariæ Domina ac Matris meæ, & mei Angeli custodis, & sanctæ Franciscæ ac sanctæ Mariæ Magdalene, & aliorum aduocatorum meorum, ac communionem Sanctorum, qua gaudemus in sancta Ecclesia Catholica, & cum hac spe volo viuere, ac mori. Ego vilissima creatura, desiderans tamen maiorem gloriam tuam diuinam, amo te Deus, Creator, Domine, Pater & omne bonum meum, & tibi opto omnia bona supra omnes res creatas cupiens, vt & ego & omnes creature predictæ ratione tibi seruiant & te ament omni possibili modo per omnia secula. Et volo, vt omnes respiraciones & passus vita mea, & ipse transitus meus ad æternam vitam, sit quadam irrevocabilis protestatio huius mei immutabilis amoris erga te Deus, Creator, Domine, Pater, & omne bonum meum. Adoro & veneror omni possibili affectu infinitam Maiestatem tuam Diuinam, tanquam principium & fontem omnis veri boni, & supremum Dominum omnium creaturarum, recognoſcendo vilitatem & infirmitatem meam, & honorando te non solum in celo, in quo est thronus gloria tua, sed etiam in locis omnibus, in quibus asseruatur sanctissimum sacramentum Altaris, & in omnibus partibus mundi, quas implet diuina immensitate tua, & existentia vera, ac reali, maxime in omnibus illis locis, in quibus & ego & alia ingrata creatura tua te offenderunt, dilectissi-

imum Deum ac Dominum & Patrem meum.

Detestor & abominor omnia mea præterita peccata, dolens de illis supra omnia mala, & desiderans mori potius ac ad pœnas inferni damnari, quàm offendere diuinam Maiestatem tuam vno solo veniali delibato peccato. Et, si possem quouis meo malo pœnali futura impedire peccata, offero ad id animam & corpus meum ad omnia possibili martyria, imò ad ipsas pœnas æternas inferni, dummodò cessent peccata & offensa supreme Maiestatis tue, Domine ac Redemptor & Pater, & omne bonum meum.

Gratias ago tibi omni possibili affectu, Deus & Domine mi, pro omnibus beneficiis naturalibus & supernaturalibus, communibus & particularibus, notis mihi & ignotis: non solum pro iis que iam percepi, sed pro illis quoque que percipiam in hac vita & post meam mortem. Et cùm non possim ea compensare meliori modo, offero pro illis merita Iesu Christi Domini & Patris & Sponsi mei, & in vnione istorum copiosissimorum meritum, offero me totam cum anima & potentia eius, cum corpore & sensibus ac membris eius, & cum actibus eorum, desiderans vt sim hostia gratissima tibi, Domine meus, & præbeam gustum ac consolationem maximam Maiestati tue diuine, & nunc & per omnem æternitatem, & simul offero omnia merita & bona animarum & beatorum spirituum, & merita sanctæ Ecclesie Matris meæ, optans, his diuitis, derivatis ex meritis Christi Domini mei, tegere paupertatem & indignitatem meam naturalem & moralem.

Peto ab omnibus veniam & condonationem omnium malorum exemplorum & molestiarum aliis exhibitarum, præsertim à Reuerenda Matre Præsidente Monasterij, & à Reuerendis Patribus Confessariis, & valedico omnibus, & ex corde amplector omnes, tanquam dominas & Matres meas, & gratias ago pro omnibus beneficiis & beneuolentia mihi ab iis præstita sine meritis meis, & commendo hanc pauperem animam meam sanctis orationibus & deuotionibus earum in vnione meritum Christi Redemptoris mei, & sanctæ Romanæ Ecclesie.

Tibi verò Domine Deus, Pater, Sponse, & omne bonum meum, me offero & presento totam cum omnibus votis & desideriis meis, à te mihi inspiratis, & me trado in tuas piissimas manus, vt recipias hanc pauperem animam meam, indignam omni bono, eamque vestias tali nuptiali veste, in qua dignè comparere possit in tuo Diuino conspectu, valde grata & accepta Maiestati tue, & possit te in æternum laudare, glorificare, & amare omni possibili modo, & renuncio omni vilitati meæ, etiam beatifica visioni, si id cedere possit ad maiorem honorem & gloriam ac bonum tuum, quod antepono omnibus bonis meis & commodis etiam spiritualibus & celestibus, nolens aliud quàm te, & in te nihil aliud, quàm maiorem gloriam & amorem tui, pro quo in æternum me offero, dedico omne bonum meum, quem desidero laudare, venereri, & amare, omnipossibili modo. Amen, Amen, Amen.

In manus tuas Domine commendo spiritum meum, redemisti me enim Domine Deus meus Pater, Fili, & Spiritus sancte. Amen.

Factis

Factis his protestationibus, solita sua pietate ac deuotione, sanctissimam Eucharistiam accepit, & postea sacro oleo inuncta est, simili pietatis sensu, quo ad deuotionem excitabat spectantes.

Totum infirmitatis tempus transegit summa quiete & serenitate conscientiae, & quantum interdum deploraret annos praeteritos male transactos, id tamen faciebat cum filiali dolore, sine detrimento internae pacis, & cum spe divinae misericordiae ac meritorem Christi auxiliis.

Toto infirmitatis tempore exacte obediuit omnibus iis fororibus quae illi ministrabant, nec de vlla re quae est.

Cum rogaretur ab aliqua ut se Domino post mortem in caelo commendaret, illa modestè quidem, sed audacter promittebat, tanquam securae de gloria caelesti, & hac occasione dixit, se post mortem suam vnam à Monialibus post se tracturam: & cum interrogata fuisset, quam trahere vellet, respondit non verbis sed facie, quam subito conuertit in Flauiam Domitillam Maximam, cum qua saepe de rebus diuinis antè agere solebat. Et ita plane factum est, nam quindecim post mortem Mariae Bonauenturae diebus elapsis, prima omnium Flauia Domitilla viuere desinit, sanctè & ipsa mortua est, post contritionem de peccatis sibi à Maria Bonauentura promissam, & statim post mortem impetratam, ut paulò post dicemus.

Saepe in hac infirmitate excitabat sorores ad vitae perfectioris studia, & in particulari, ad contemptum rerum à vita sancta auocantium, idcoque valde accusabat tepiditatem vitae suae antea, & tot annorum à se expensorum iacturam, & omisso innumerabiles meritorem cumulos, & coronarum in caelo neglectarum.

Benedicebat magno animi sensu Deum cunctis audientibus, & diem illum, quo se ad faciendam S. Ignatii Exercitia induerat, eò quòd tunc manifestius agnosceret, quantorum bonorum in anima ipsius illa Exercitia fuissent origo & causa. Et addebat, si ad pristinam sanitatem rediret, se velle ea quolibet mense iterare quamdiu viueret: sed cum à Medicis esset praemonita nullam superesse spem vitae, id sine vlla perturbatione & tristitia audiens, cum magna resignatione animi, & tranquilla ac serena cum Dei voluntate conformitate, reliquum vitae, oppressa licet morbis & doloribus, in valde intensis ac feruentibus (vri olim sana) supernaturalibus actibus traduxit. Nam quidquid pro remedio morborum ac dolorum leuamine facere iubebatur, non ob naturae ac corporis solatium & confortationem vitium sumebat, sed actu quodam reflexo & pio, singula ob Dei amorem pure propter Deum accipiebat: hoc sine os aridum eluebat & humectabat, hanc solam ob causam, in hoc vel altero situ cubabat, & cuncta alia adhibebat.

Quod ut cum maiori merito suo ac Dei gustu faceret, impetrauit & à me, & à Monasterij Praeside ut omnia & singula quae ex Medicorum praescripto charitas eximia sacrarum illarum Virginum medendo & corroborando illius corpori exhibebat, illi tanquam res à S. Obedientia, non à solis Medicis imperatae praerentur: quas & illa, vti tales accipiebat, omnia supernaturali motu, ac singula quoque sancto operandi modo conducendo ad maius incrementum meritorem, ac ampliorem diuinam Maiestatis gloriam, quemadmodum in Exercitiis spiritualibus didicerat.

Morti propinqua, vota Paupertatis, Castitatis, & Obedientiae, renouauit coram Monasterij Praeside, & omnes supra scriptas protestationes repetiit, saepe iterans magno cum corporis & animi ardore illa verba: *In aeternum & ultra. Desiderans laudare & amare Deum omni possibilis perfectionis modo; non tantum per totam aeternitatem, sed (si fieri posset) etiam ultra aeternitatem: postea petiit alta voce, Psalmum 102. legi, cuius initium est: Benedic anima mea Domino, & omnia quae intra me sunt nomini sancto eius, & quae sequuntur: Quae verba cum magno affectu audiebat, & verbis similes suos affectus coniungebat: subsistens diuturnius in nonnullis Psalmi sententiis sibi charis. Post haec rogauit omnes altantes, ut flexis genibus peterent à Deo velocem dissolutionem animae à corpore, & quanto citius peruenire posset ad Deum amandum perfectius. Quod dum faceremus, & ex Rituali preces legeremus, illa saepe Crucifixi osculabatur imaginem, nec valens internum pietatis sensum reprimere, in hac & similia verba prorumpebat: *Gloria Patri & Filio & S. Spiritui sancto. Et, In te Domine speraui, non confundar in aeternum. Et, In manus tuas Domine commendo spiritum meum, redemisti me Domine Deus Veritatis. Semel exclamauit: O quantum doleo me loqui non posse! causam rogata, respondit: Quia etiam non possum ore laudare Deum, ut non tantum cor meum & anima, sed caro etiam exaltet in Deo meo. Sed cum illi dictum fuisset, Deum quem habebat in corde & anima ibi audire voces mentis, conqueuit. Porro cum totum infirmitatis & agoniae tempus sine vilo peccato & mentis perturbatione ac scrupulo transegisset, vna ante mortem hora, hanc ei demon cogitatione iniiecit, esse in eius anima aliquod occultum peccatum, ob quod eam nollet exaudire Deus, et si tamen ardentem animae dissolutionem postulantem, & tanquam suo conspectu indignam, in his vitae miseris detineret: verum postquam hoc ipsum mihi aperuit (qui per 17. continuo horas ei assistit vsque ad mortem, nulla profus humana necessitate ab eius praesentia auocatus) tentatio daemonis, qua illi desperationem frustra ingerebat, euanuit.**

His peractis petiit, ut sibi indulgentia plenaria,

narina, nominatim missa ab Urbano VIII. Pontifice maximo applicaretur, quâ accepta perrexit in solitis suis affectibus, qui se per vultum & oculos ad cælum erectos, & gestus manuūm euidenter prodebant, sapius iterata hac sententia: *Iesus Maria sint in mea societate.* Tandem vltim lingue & reliquorum sensuum perdidit, & cum cessassent pristini corporis morientis angores per medium quadrantem horæ, membris modestissimè compositis, sanctam animam quietissimè Deo tradidit Anno 1627. 26. Mensis Februarij, intra 17. & 18. diei horam, anno ætatis suæ 25. quamuis non per integrum annum sanctè vixerit, verè tamen de ea illud dici potest, quod à Spiritu sancto traditum est Sap. 4. *Consummata in breui expleuit tempora multa;* & quod sanctus Thomas de Sanctis insignibus differens scriptum reliquit Opusc. 17. c. 7. *Vnus ab alioris sanctitatis gradu incipit, quàm sit summum alterius, ad quod per totam vitam suam alter perueniet.*

Promiserat Maria Bonauentura Flauia Domitilla Maximæ id petenti, se daturam operam, vt post eius mortem à Deo veram peccatorum contritionem obtineret: & eo ipso die quo Maria Bonauentura obiit, nil adhuc Flauia Domitilla sciens de eius morte, tam vehementem repente dolorem de peccatis commissis in se sensit, vt præ contritionis vehementia in spasmus quandam incidit, & iam se morituram putarit, eo planè modo, quo B. Raimundo sancta Catharina Senensis contritionem & fletum vberem de peccatis commissis, teste ipso B. Raimundo & S. Antonino, impetrauit. Quod Flauia Domitilla Patri Nicolao Zuchio Confessario suo & hic mihi narrauit. Vnde indubiè Flauia Domitilla postea agnouit, Mariam Bonauenturam id ei à Deo in cælis impetrasse, sicut viuens promiserat. Alia persona mihi bene nota, pridie mortis Mariæ Bonauenturæ eam rogauit, vt pro ipsa in cælis oraret, & se cælo portitum sensibilibus indicaret, illa candidè promisit se id facturam, & promissum exoluit. Nam primo post mortem Mariæ Bonauenturæ die illa persona (quæ quoniam adhuc viuit, se nominari non permittit) sensit in se magnam in re difficillima mutationem, nam ab eo tempore, non solum in superiore parte animæ acquisiuit diuinitus, gustum maiorem in omni generis aduersitatibus & persecutionibus (quibus tunc à magnæ authoritatis viris exagitabatur) sed etiam in parte inferiore (in qua hoc antea non habebat) cœpit sentire minorem repugnantiam, & naturalem ac inuoluntarium sensum crucis, maiorem verò pacem, & tranquillitatem tantam, ac si aduersitates illæ, & omnes aliæ postea, etsi in se & raræ & grauissimæ, non illum sed alium quempiam, nulla sibi necessitate coniunctum attingerent. Idque cum certo quodam etiam inferioris partibus gaudio ac dominatu timoris & tristitiæ na-

turalis, quibus viri etiam perfecti etsi inuiti, premi solent; dum ab iniquis criminatoribus acerbè ac grauiter, nulla sua culpa vel causa, impetuntur; ex qua admirabili & paucis concedi solita mutatione ac gratia, non temerè credi potest, Mariam Bonauenturam breui post mortem Dei beatifica in cælis visione fuisse potitam.

Quod quidem secundo post obitum Mariæ Bonauenturæ die euidam Moniali Virgini mihi intimè perspectæ (quotidianis raptibus valde celebri, à magnæ authoritatis nostræ Societatis Patribus diu examinatis & approbatis, tanquã à Dei spiritu ortis) in raptu quodam diuinitus reuelatum fuit.

Vt autem appareat quàm accuratè Maria Bonauentura spiritualia Exercitia peregerit, & quomodo ea ad praxim reuocarit, ac quibus modis fructum ex iis deriuarit, visum est describere praxim glorificandi Dei in hac vita, quam manu propria Maria Bonauentura conscripsit, & quæ post eius mortem, cum aliis eius scriptis ad meas manus peruenit. Ex hac enim praxi vitæ spiritualis studiosi discere poterunt, & qui fructus Exercitiorum annotari debeant memoriæ causa, & qua ratione Exercitiorum præsidio, mores vel emendandi, vel componendi, vel perficiendi sint, ad Deum quam maximè colendum & amandum, quod solum per Exercitia rite suscepta prætenditur.

Praxis in hac vita glorificandi Dei ex Sancti Ignatij Exercitiis excerpta.

Primò. Fuge quoduis etiam minimum peccatum, ita ne vnquam offendas Deum cum plena aduertentia rationis & deliberatione, non tantum mortaliter, sed etiam venialiter: sed eum sine venialibus peccatis hac vita non agatur, caue, ne committas peccata grauius venialia, nec leuia multarum specierum, & hæc sint quàm paucissima & rarissima, & non sint talia, quæ scandalizent & offendant alios, nec talia, quæ valde disponant ad mortalia, vt sunt cogitationes turpes negligenter reiectæ, & curiositas oculorum in aspiciendis corporibus, etiam sacris, nudis, multò magis profanis & formosis faciebus, siue iuuenum siue feminarum.

Secundò. Expia peccata commissa quoad culpam & quoad pœnam quamprimùm, tum sinceris confessionibus, tum actibus Contritionis, vt est diuersa ab attritione, tum actibus amoris Dei amati super omnia, tum frequenti detestatione peccatorum, quamuis illa non sit tam efficax vt contritio; tum aliis actibus supernaturalibus virtutum, qui sunt contrarij peccatis commissis, tum actibus pœnalibus pœnitentiæ, & religionis, & fraternæ charitatis, vt sunt ieiunia, disciplina, vigiliæ, cubatio in nudis assensibus, orationes longe genibus flexis factæ,

X x cilia,

cilicia, elemosynæ, obsequia impensa infirmis: officia feruilia, amor inimicorum, beneficia illis præstita. Supra omnia autem feruens cum intensis actibus deuotio in offerendis Deo omnibus quæ facis, & iis faciendis.

Tertiò. Da operam ut ita uiuas, ut omnia opera tua sint meritoria gratiæ, & digna præmio cælesti, & in te augeant gratiam & virtutes supernaturales & dona Dei. Ad hoc autem necessaria sunt hæ conditiones. Primò, ut non habeas unquam peccatum mortale in anima, sed sis in gratia Dei. Secundò, ut omnia facias propter motiuum aliquod supernaturale quod Apostolus faciendum monet, etiam dum comedimus & bibimus. Tertiò, modus operandi sit bonus, hoc est, conformis rectæ rationi & luminis conscientiæ, conformis doctrinæ S. Ecclesiæ & Patrum Spiritualium & Regulis tui Ordinis. Quartò, operationes nostræ non inquinentur vilo peccato veniali, quod vitiet vel finem vel modum bene operandi. Sic operando imitaberis Christum qui dixit: *Ego quæ placita sunt ei, facio semper.* & sic quoque imitaberis Spiritus cælestes, qui nunquam peccant, & semper sunt occupati in feruentissimis operibus summè Deo gratis.

Quartò. Non sis contenta quibusuis bonis operibus, sed inter opera, quantum potes & quantum licet, elige semper magis perfecta & magis Deo grata. Ex quibus maior Dei laus & gloria oriatur. Porro maior Dei gloria & perfectior hinc cognoscitur. Primò, ex maiore perfectione virtutis: nam v. g. perfectior est charitas quam fides, virtus religionis quam patientiæ. Secundò, cognoscitur ex maiori difficultate obiecti & materiæ, ceteris paribus, unde perfectius est amare pro Deo inimicum, quam amicum, & dare maiorem elemosynam quam minorem. Tertiò, cognoscitur ex maiore victoria nostrarum repugnantiarum quas sentimus in bonis operandis. Quartò, ex maiore nostri mortificatione & confusione. Quintò, ex maiore repressione humanorum respectuum, & maiore contemptu iudiciorum alienorum ac censurarum, quæ curando, sæpè Deum offendimus, & bona omittimus. Sextò, cognoscitur ex tempore magis longo, quod in opere bono expendimus. Septimò, ex maiore vilitate vel alicui personæ vel toti communitati proueniendi ex nostro opere. Octauò, cognoscitur ex durabilitate operis, si aliquid fiat vel fundetur duraturum & profuturum etiam post nostram mortem. Nonò, si opera nostra extendantur ad vilitatem vel saltem solatium plurium personarum vel locorum. Decimò, si opera fiant ob plures supernaturales fines inter se subordinatos, & omnes ad eum ordinatos in quantum est motiuum amoris supernaturalis, quem Theologi vocant beneuolentiam,

quæ est perfectior quam amor concupiscentiæ, quo Deum amamus prout nobis est utilis.

Quintò. Non tantum viuendo glorifices Deum, sed etiam post mortem in cælo, idque iis modis. Primò, conare ut ad cælum peruenias sine purgatorio, ut ita quam citissime incipias glorificare Deum in cælis. Secundò, coneris esse in altissimo gradu gloriæ cælestis, Beatissimæ Virgini & Christo quam proximo, ita enim amabis & glorificabis magis Deum, & Christi merita ac eius in te gloria magis elucebunt, erisque eius membrum illi tuo capiti magis proportionatum, & imago Deo Patri similior per virtutes, & dignius templum Spiritus S. Tertiò, proeura ut tantam gloriam in cælo polleas apud Deum, ut inde quam proximè & quam plurimos adiuues ad dilatandum per illos quam maximè gloriam Dei. Quartò, desiderata, si id magis Deo placeret, eligeque cum maiori eius gloria coniunctum, etiam in cælo humiliari, pro Deo affligi, & modis omnibus Deo placentibus exagitari & deprimi, & te priuari iis gaudiis, quibus est plenum cælum. Quintò, contenta sis priuari visione Dei beatifica, si hoc esset necessarium ad maiorem Dei gloriam. Sextò, si id Deo placeret magis, loco visionis Dei beatificæ, opta habere alios tantos gradus virtutum, qui correspondeant visioni Dei, qua priuaretis ex amore eius. Septimò, sed cum Deus fidelis sit in promissis, & daturus sit gloriam cælestem diligentibus eum, ita debes habere purificatum & desecatum cor, ut non per actum reflexum, & quasi coactè, sed tanquam connaturaliter desideres Deum videre in cælo, ne quidem secundariò ob bonum tuum ut bonum tuum est, sed totaliter & purè propter ipsum Deum, in quantum id bonum Dei est, quippe cellurum id in maiorem gloriam & laudem Dei, quod quidem tam perfectè desiderare debes, ut dum senties in te desiderium gloriæ cælestis, ne quidem in memoriam tibi veniat speculatiuè desiderium cæli propter commodum & gustum tuum, sed solum propter gloriam Dei.

Sextò. Desiderata & conare glorificare Deum post mortem, non tantum existendo in cælo, sed etiam in terra his modis. Primò, ut postquam anima separata fuerit à corpore suo, immediate post, ita remaneat in lecto decenter & honestè compositum corpus tuum, in omnibus membris & vestimentis, rebusque aliis ad id spectantibus, ut aspicientes exciter ad laudandum & glorificandum Deum, eique perfectius seruiendum. Secundò, ut vestes quibus vasa fuisti, & quantum ad paupertatem & munditiam & alia, tales inueniantur, ut ex illis qui eas viderint, sumant occasionem glorificandi Deum. Tertiò, cubiculum tuum ita post mortem tuam redoleat paupertatem, munditiam,

& ordinem suppellectilis, vt hinc quoque excitentur alij ad glorificandum Deum. Quarto, similiter & lectus tuus in quo morieris, habeat in se aliquid, quod excitet ad glorificandum Deum.

Septimò, Per personas cum quibus conuersaris vel conuersata es, sic glorificabis Deum, si conuersatione tua eas reddideris meliores in obsequio Dei, id specialiter spectans in eis, vt non tantum te viuente, sed etiam te mortuo Deum glorificent loco tui, & ex causa tua, & tu quasi viuas in eis, eo ferè modo, quo dicit Spiritus S. *Pater quasi non est mortuus, similem enim reliquit post se filium.*

Octauo, Officiis & occupationibus tuis glorifica Deum, eas ita obeundo perfecte, vt relinquunt bonum odorem virtutis, & quandam ideam aliis perfecte operandi, cum magno incremento diuinæ gloriæ domi & foris.

Nonò, Vtū temporis glorificabis Deum tum iuxta monita tibi à Patre spiritali pridem data, tum his modis. Primò, si negotia tua ita tractabis & stabiles, vt etiam post mortem quam diutissime durent, & Dei gloriam semper dilatent. Secundò, si in omnibus actionibus & conatibus tuis, non tanquam usufructuarius more, sed tanquam hæres procedes, non spectando tantum vt tuo tempore bene procedant, sed vt postea etiam fructus eorum duret. Tertio, si in ipso fine negotiorum tuorum ita iis applicata eris, & res omnes ad illas spectantes dispones, ac si tunc illud negotium inchoares.

Decimò, Etiam absentia tua & post mortem glorificabis Deum, quando ita viues & procedes in omnibus, vt illi qui te cognouerunt, vel de te aliquid audiuerunt, recordatione tuorum bonorum exemplorum, & perfectionis in modo tractandi negotia, excitentur ad laudandum Deum, & ad gratias agendas ei ad tui imitationem.

Vndecimò, Præter hæc, etiam conatibus tuis glorificabis Deum, interius quidem, per ardentissima desideria, vt per te & per alios quam maxime promoueat diuina gloria, exterius verò adhibendo omnem operam, vt quæ aggressa es pro gloriæ diuinæ dilatatione, optimè succedant, retinendo tamen in animo quoddam tui dominium à nimia solitudine liberum, & plenam resignationem per quam contenta remaneas & tranquilla, si Deus sine culpa tua, noluerit succedere res à te inchoatas.

Duodecimò, Etiam per omissiones debes glorificare Deum his modis: Primò, non peccando in occasionibus peccati, v.g. non irascendo dum aliqua iniuria afficeris. Secundò, non peccando etiam aliis temporibus, quibus non occurrit vlla occasio te ad peccatum incitans. Tertio, cessando ab opere quod facis, quando cessare iubet vel Regula vel approbata consue-

tudo tui Ordinis, vel is qui præest, mandat. Quarto, non aggrediendo nec inchoando negotia, si putes esse mentem contrariam eius qui tibi præest. Quintò, non occupando te in vlla re, etiam bona, sine licentia. Sextò, non offerendo operam tuam ad vllam rem, etiam bonam, sine licentia. Septimò, ne quidem ostendendo inclinationem tuam ad aliquid faciendum sine licentia. Octauò, non petendo consilia ab externis sine licentia. Nonò, abstinendo etiam à rebus non malis, si sint aut vitæ aut peregrinæ in tuo domicilio. Sed vt per has omissiones magis glorificetur Deus, illas ipsas actualiter offerendo Deo singulas per actum reflexum. Decimò, glorificabis Deum abstinendo ab vsu creaturarum superfluarum, v.g. non vtendo duobus Breuiariis, sed vno, & sic de aliis. Vndecimò, non vtendo creaturis, etsi pro eo tempore vtilibus, non tamen omnino tunc necessariis, v.g. dum candela ardet in publico ambulacro vel ambito, & sat præbet luminis, tu tuam candellam non adhibeas propter maius lumen: sic si satis est ad eluendum os vel manus semel aquâ adhibere, bis non adhibeas. Duodecimò, noli desiderare vllam rem non necessariam nec vtilem ad satisfaciendum obligationi tuæ, v.g. habitare in tali loco, tale officium obire &c. sed sis semper resignata & indifferens ad omnia, quæ circa te disponet Deus per Superiores, nil prorsus eligendo in particulari, nil detrectando: licebit tamen proponere cum indifferentia, si clarè videris id Deum à te exigere. Decimotertio, non petas à proximo tuo vllum obsequium vel auxilium, quod illi potest esse incommodum vel molestum, nisi cogaris id facere ob euidenter necessitatem vel utilitatem maioris gloriæ diuinæ. Decimoquarto, non adhibeas ad vsum tuum res necessarias, magis pretiosas quam minus pretiosas, sed è contra: ideo & vestibus ex panno viliori vteris. & Breuiariis quæ minoris veneunt, vt sunt Venetiis impressa, non Antuerpiæ vel Parisiis. Decimoquinto, noli adhibere vllum leuamen molestiis & crucibus tuis, ideoque abstine ab exultationibus, defensionibus, & similibus, per quæ crux Christi minus amara redditur & leuior, cum eam optare debeas, & ferre omnibus instantibus vitæ tuæ quam grauissimam & quam amarissimam parti tuæ inferiori & amori proprio. Decimosextò, noli ostendere vel seruare literas aut res alias à personis aliquibus insignibus ad te missas vel datas tibi, ex quibus visis ab aliis, possit de te concipi maior & melior opinio. Decimosextimo, preme silentio omnia quæ aut bonam apud alios de te opinionem conciliare possent, aut solatium aliquod humanum adferre: ideo extra casum necessitatis, noli commemorare aliis quam Medicis, indispositiones corporis tui, quia sola talium rerum commemoratio, est quoddam naturæ & infir-

mitatum lenamen, & solatium amotis proprij.

Decimo tertio, Contradictionibus, aduersitatibus, persecutionibus & quibuslibet molestiis glorificabis Deum, eas tolerando non tantum patienter, sed etiam libenter, imò & cum exultatione & gaudio, & adhuc cum desiderio maiorum & plurium molestiarum nunquam finendarum, ideoque nullas fugere aut declinare debes, & nequidem leuiore reddere, sed in crucibus nil nisi crucem tuam quam grauissimam, & Dei gustum & gloriam quam maximam querere.

Decimo quarto, Peccatis tuis & alienis dum tibi in memoriam venient, sic glorificabis Deum. Primum, excitando in te odium & detestationem eorum propter Deum per ea offensum, omni obsequio & amore dignum. Secundò, dolendo de iis magis quam de omni alia infelicitate & calamitate. Tertio, optando & procurando ne amplius vnquam committantur. Quarto, satisfaciendo pro iis modis in Ecclesia vitatis. Quintò, offerendo te Deo ad omnes calamitates, etiam ad penas inferni, si earum toleratione posses effici, ne vnquam offendatur amplius dilectissimus Dominus Deus tuus. Sextò, excitando eorum occasione ardentius in te studium, Deo perfectius seruiendi, vt sanctè & perfectè viuendo, possis aliqua ratione compensare tot iniurias Deo per peccata illatas, cuiusque cor exhilarare.

Decimo quinto, Conare & da operam, vt & verbis & exemplis, & precibus, & aliis quibus poteris modis inducantur alij quoque ad glorificandum Deum modis hinc explicatis.

Hæ sunt praxes & fructus Exercitiorum scripti & collecti à Maria Bonauentura, tum ex vsu Meditationum ab illa diligentissimè & feruentissimè peractarum, tum ex instructionibus sibi à suo Directore datis, quibus illa tam exactè & accuratè obedivit, vt nunquam à primo die Exercitiorum vsque ad vltimam eius vitæ horam, per menses vndecim, ac dies ferè 26. (non diutius enim postea vixit) vlla in ea deprehenderim aut inobedientiam aut negligentiam, aut repugnantiam, aut actionem contrariam alicui vel minimo monito aut bono proposito, aut doctrinæ in hac praxi glorificandi Dei, descriptæ, cui tota eius reliqua ab Exercitiis vita plene fuit in omnibus conformis. Quod in ea fuit mirabilissimè, instar viui argenti, huc illucque antea per Monasterium discurrens, ad res exteriores & distractiones effusa, & res & personas spirituales declinans, repidis & negligentibus adherens, ex viuacitate morum & velocitate actionum, & impetu, aliquot vestes quotannis ex optimo panno factas lacerans; quibus omnibus non obstantibus, ita à primo die Exercitiorum, viuacem & rebellem Deo naturam vi-

cit, & inordinatos passionum motus compefcuit, ac pranos habitus & consuetudines aboleuit, per actus vitæ antea actæ contrarios, cum omni (quam agnoscebat esse adhibendam) diligentia & ferore factos, & coniunctos cum insatiabili desiderio maioris indies imò in horas perfectionis assequendæ, vt non tantum spiritus & pars animæ superior, sed etiam inferior, & omnia corporis eius membra ac sensus, viderentur transformata in Deum ac res diuinas, per imitationem heroicarum virtutum, & omnis perfectionis, vt meritò personis perfectissimis in gradu altissimo annumerari possit. *Qui sanctissime viuendo nullum, vt ait S. Gregorius Naz. Ascensus in virtutibus & Dificiationis modis seu finem ac terminum inueniant.* Vnde quibus euidenter potest agnoscere, ad quantam sanctitatem ascendere deberet per Exercitia, quotannis animam excolendo & euehendo, præsertim irrogando quotidie in Sacrificio missæ corpus & animam Dei sanguine, & diuina Christi carne saginando, & intra se inexhaustum omnis sanctimonie fontem recipiendo, cum vna virgo per Exercitia S. Ignacij, tantum semel sine tot præsidij quibus abundamus facta, ad hos quos recensui perfectionis gradus ascendere tam exiguo temporis spatio potuerit, nec per se, vt solent Sacerdotes sacrificans, nec quotidie Dei Corpus & animam & sanguinem diuinitate imbutum sumens, ad expulsionem malorum, & acquisitionem amplissimam omnium donorum celestium. Quod Dei Sacerdotes sacrificium Eucharistiæ quotidie offerentes, facillè assequi possunt. Vnde meritò S. Chryostomus ait: *Quo non oportet esse puriorem tali fruente sacrificio? quo solari radio non splendidiorem manum, carnem hanc diuidentem, os quod igne spiritali repletur, linguam qua tremendo nimis sanguine rubescit.* Quod si querat aliquis, quam existimem ex parte sua adhibitam à Maria Bonauentura dispositionem, ad tam insignia Dei dona ei diuinitus tam citò collata? Ego sanè existimo Deum, qui facienti quod in se est non denegat gratiã, & qui fidelè in paruis, promouet ad maiora; & qui erga eum liberales liberalius dicit, vt ait S. Ignatius, quatuor dispositiones in Maria Bonauentura, tam eximias, vt vidimus, virtutum & donorum præmiis remuneratum esse.

Prima omnium fuit magna sui victoria, quæ ostendit dum magnopere repugnantem à faciendis spiritalibus Exercitiis naturam (se generosè vincendo propter Deum & animæ suæ bonum) ad ea suscipienda adigit, resolutio animo omnia tegia & molestias, quas in illo secessu & solitudine sperabat, constanter tolerandi; magnum enim ad consequendam sanctitatem adiumentum est, nostri in rebus difficilibus victoria, vt sentiebat B. Noster Franciscus Borgia l. 4. vitæ c. 5. imò & ipse S. Ignatius c. 4. ex. §. 46. & apud Ribad. in vita l. 5. c. 10. & Orlandini. l. 3.

Ann. 7. c. 2. vti & S. Xaverius apud Turfeli-
num l. 1. c. 5. & l. 6. c. 7. 13. 14. & l. 3. Epist. 5.

Secunda dispositio eius fuit, cura minimo-
rum accuratissima, tum in fugiendis omni co-
nari etiam leuissimis peccatis & defectibus,
tum in seruandis iis sui Monasterij regulis &
probatis consuetudinibus, quæ à locordibus &
repidis tanquam res parui momenti violantur;
tum in quaerenda sui abnegatione & mortifi-
catione in minutissimis rebus. Quam minimo-
rum curam plurimum conferre ad sanctimo-
niam vitæ docent SS. Patres citati à Iulio Ni-
gronio in Tractatu Ascetico, & ego magno-
rum Dei seruorum Dei exemplis & experien-
tia ostendam toto Opusculo de Priuilegijs fi-
delium Dei seruorum.

Tertia dispositio eiusdem fuit, exactissima
cura in expediendis bene omnibus particulis
temporis, quod totum (repudiata omni curio-
sitate & rerum indifferentium tractatione) tra-
ducebat in rebus meritorijs ob finem superna-
turalem, modo perfecto, tractatis. Per talium
enim operum tractationem & frequentiam,
imò assiduitatem, magni sunt in acquisitis &
infusis virtutum habitibus, progressus, & ampla
sanctimonie incrementa, vti docent & Theo-
logi & vitæ spiritualis Magistri, hac ratione nul-
lam prætermittebat occasionem coronas cæ-
lestes præparandi sibi. Imitabatur quippe S. Pa-
trem Nostrium Ignatium, qui, vt scribit Maffei-
us in eius vita l. 3. c. 1. Summa obseruabat cura quidquid

ad Christi gratiam vel tuendam vel augendam quo-
quo modo pertinere intelligeret.

Quarta dispositio eiusdem fuit indefessus
seruor, quo singulas qualque actiones purè
propter Deum peragebat, & imprimis omnes
Additiones & meditationes & instructiones
Exercitiorum, dum ea summa diligentia & ap-
plicatione animi faciebat, quia vt bene scriptum
reliquit S. P. Ignatius in prima epist. quam An.
1547. Martij scripsit ad nostros Lusitanos, ex-
citans eos ad studium Perfectionis, *Rarum ali-
quod & eximium facinus ex viuido sanctoque seruore
profectum sexcentis vulgaribus minutisque antecellit*
(seu vti est in textu Hispanico) *plus valet vnus a-
ctus intensus, quam mille remissi & debiles. Ad quem
enim virtutis gradum multis annis piger non potest
adrepere, exigua temporis intercapedine, diligens mira-
biliter volat* (sic vt est in Hispanico) *brevi tempo-
re acquirit. Talium è numero fuit hæc feruentis-
sima Virgo de quibus loquitur S. Bern. ser. 23. in
Cant. Qui amat ardentius, volat velocius, & cuius
peruenit, perueniens non duo repulsionem, sed nec cum-
tationem patitur, sine mora aperitur ei tanquam do-
mestica, tanquam charissima, tanquam specialiter
dilecta & singulariter grata. Imitemur ergo hanc
Virginem, saltem nos Religiosi, præsertim Sa-
cerdotes, & qui plures quam illa annos in vita
Religiosa expleuimus, vt ex fertili Sanctorum
Exercitiorum pomario, similes heroicarum vir-
tutum fructus quam plurimos & quam citissi-
mè decerpamus. Amen.*

